

an taxat de iis iudicamus. Ita est, inquis: sed si id falsum esse contingat, quod verum probabiliter existimabam, illa me probabilis nullatenus excusat. Igitur cum conscientia dubia operaris. Igitur etiam peccas, licet opinio illa, quam probabilem reputas, vera sit; quia prudenter dubitas, an falsa sit. Adducta loca non difficile explicantur, tu vide sis apud auctores, Annatum, Martinon, Stephanum Deschamps, aliosque ferè innumeros. Non admitto, inquis, eorum interpretationem. Nec illi tuam. In sensu Patrum, inquis, intelligo: illi quoque mentem Patrum se affecutos aiunt. Ecce tibi litem Sed quis iudex? Ecclesia inquis, cuius recto iudicio Moralis Jesuitarum disciplina damnata est. Sed quamnam est illa Ecclesia? Senonensis, Bellovacensis, Convenarum, Sanctorum Pauli vel Rochi? erras mi homo, erras. Ecclesia iudicio stamus, sed Romana & Catholica, quæ doctrinam Jansenij damnavit, & Baij propositiones confixit, inter quas illa merito censetur, quæ asserit, ignorantiam invincibilem non excusare; neque hanc unquam Gratianus, Augustinus, Christus, à peccato liberare negarunt, ut à citatis auctoribus demonstratum est. Nam & ad res fidei probabiles opiniones extendunt, & quæ definita sunt à DEO, Doctoribus subijciunt, cætera ipsis inter se dissidentibus relinquimus.

## CXXVII.

Constitui quidem etiam illa examinare, quæ ad Confectaria *Wilhelmi* observavit *Stubenrockius*: verum cum partim, quæ excipit, petant principium, partim incertis vestigiis & hariolationibus causam potius prodant, quam juvent; partim relinquunt immota, quæ à *Wendrockio* posita & transiliant, & passim referta sint Pelagianis seminibus, ideoque illorum speciale Examen in aliud tempus differimus: hoc tamen addito, quod nulla tam deformis Bucca, quæ non ab istis Mangonibus possit aliquo colore inumbrari, ut ut fixum maneat illud DEI apud Jeremiam cap. 2. vers. 22. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi saponem, maculata es iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus DEUS.*

## CAPVT IV.

## DE CURA CONSCIENTIÆ.

## CXXVIII.

Cum Conscientia hominis post lapsum nunquam sit ita exacte bona,